



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 20. De Christi cum Apostolis in Hortum profectione; ac tristitia eius
interna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

tua dulci societate. Concede mihi, semper esse, ubi tu es, videns te in hac vita fide valde clarificata; & post eam, clara visione in tua gloria, Amen.

MEDITATIO XX.

DE CHRISTI EXITU EX
cœnaculo ad hortum Gethsemani,
& interna eius tristitia
& afflictione.

PUNCTVM I.



INITIO sermone a & hymno dicto, b egressus est IESVS cum discipulis suis, trans Torrentem Cedron, a in montem Oliueti, b ubi erat hortus in campo Gethsemani,

a Matt. 26.
30.
b Ioan. 18.
c Luc. 22.
39.

in quem introiit ipse & Discipuli eius, c secundum consuetudinem, sciebat autem & Iudas locum, quia frequenter IESVS conuenerat illic cum discipulis suis.

PERPENDENDA E sunt in primis causæ cur Christus ex cœnaculo exiuerit ad hortum Gethsemani? PRIMA enim fuit, vt bonâ consuetudinem seruaret, recipiendi se orationis causa, ad separata & solitaria loca, post-

I.

quam

quam concionandi officio satisfecisset. Estq; magnoperè attendenda magnanimitas, & integritas huius Domini, qui nullis laboribus aut periculis deterrebat, quò minus bonas suas consuetudines seruaret: & ita hic habuit sermonem: & consuetum, post cœnam hymnum dixit, ac sese recepit in solitudinem: atque si nullam ibi aduersitatem expectaret. Ex quo exemplo, pudorem concipiam de meo torpore, vt qui, quauis occasione occurrente, bonas & probatas meas consuetudines facile omitto, præcipuè verò orationis: cùm contra meritò esset faciendum, vt tempore videlicet maioris necessitatis, auidius ad eam accederetur.

II.

SECUNDA causa fuit, ne comprehensio eius in cœnaculo, & aliena domo fieret, sed in solitudine, & in horto illo, vbi facilius perficeretur, & absque hospitis incommodo. Ne verò fugere videretur, ad eum locum se contulit, quem ipse Iudas sciebat, qui illum erat traditurus: sicut qui spontè se in carcerem & mortem offert, non catenis ferreis, sed amoris & obedientiæ deductus: ideoque in sermone illo post cœnam dixit suis discipulis: *d vt cognoscatur mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc.* O dulcis IESU, da mihi huius affectus amoris & obedientiæ ne labores fugiam: sed ad illos subeundos me potius offeram, te amanter sequens, & comitans obedienter.

d Ioa. 14. 31.

TERTIA causa fuit, ad significandum: quod sicut mundi ruina incepit, ob malam libertatem Adami, in horto; ita mundi salutem incipere debere à comprehensione Christi in alio horto, in valle oliuarum sito. Quidquid enim in eo accidit, nobis fuit fluxus immensus misericordiarum; quamuis ipsi Christo fuerit præceps torrens tristitiarum & afflictionum. Et quamuis, dū pertransiret ipsum torrentem Cedron, occurrerint illi inundationes dolorum, qui essent ipsius animam pene trauri; nihilominus pergens tunc suis Apostolis, magna illis benevolentiae signa ostendebat. Concede mihi, Saluator mi, licentiam te comitandi, & laborum ac pœnarum torrentem tecum transeundi, omnes siquidem tanquam vallem oliuarum & misericordiarum mihi esse reputabo.

PUNCTVM II.

CVM peruenisset a in villam, quæ dicitur Gethasemani, dixit discipulis suis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. & assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cepit contristari & maestus esse de pauere, & cadere.

a Matt. 26. 37.

b Marc. 14. 33.

CONSIDERANDVM PRIMÒ: Christum Dominum nostrum, inchoare voluisse dolores suæ passionis præmissis duabus rebus horrendis, quæ illam atrocissimam reddiderunt. PRIMAM fuit, quod spontè voluerit omni lætitiæ

I.

IV. Part. Medit.

Q

sen-

III.

sensuum, aditum prohibere; adeò, vt cum aliàs in tolerandis aduersis, oblectationem quandam cum lætitiæ indicis sentiret; nunc etiam illam oblectationem & lætitiã inferioris partis animæ, à se reiecerit; & omni sensuum consolationi, quæ ex superiori animæ parte poterat venire, ostium obserarit. SECUNDA fuit, assumpsisse sponte affectus contrarios, timoris videlicet ac tristitiæ, potestatem faciens sensuum appetitionibus, vt hoc affectus pœnales magna vehementia producerent: nam cum liberum ipsi esset, huiusmodi affectibus locum dare, aut negare; eosq; vel remissos vel intensos admittere; reipsa intensissimos sentire voluit: quò eius passio, magis esset amara. Nam cum aduersitates & labores, cum sensuum aliqua lætitiã sentiuntur, parum hominem afficiunt, vt multi Martyres sunt experti; at cum sensuum tristitiã adest, multo grauius tolerantur: ideoque patientia in illis tolerandis, multo est gloriosior: eò quod absq; sensuum subsidio tolerantur, & insipidus, amarusque tribulationis cibus absq; villo condimento, & purè intuitu amoris Dei comedatur. O dulcis IESU, gratias tibi ob hoc initium quod tuis laboribus fecisti; ita illos accipiens, vt grauiores ad sustinendum efficerentur; concede mihi vt amore tui, omni sensuum oblectationi mihi interdicas; meque ad calicem passionis tuæ purum ebibendum, sicut bibisti, offeram.

II.

DEINDE perpendenda est multitudo & grauitas

uitas, internarum harum Christi Domini affli-
 ctionum; quas Euangelistæ, *timorem* seu *pauo-*
rem, *radium*, *tristitiam* & *merorem* seu ago-
 nam appellant. TIMOR fuit tormentorum;
 & terribilis mortis, quæ illi imminabant; qui
 solè interdam grauius torquere, quam ipsa
 mors, inferens tremorem & stuporem quen-
 dam, qui *Pauor* dicitur; & anxietatem quandã
 interiorem, quæ dicitur *Agonia*, de quibus di-
 cemus postea. Hic timor inuasit Christum Do-
 minum nostrum, tanquam innumerabilium
 militum exercitus, tot sibi timores fabricans,
 quot fuerunt postea tormenta. Habuit enim
 timorem comprehensionis, iniuriarum illius
 noctis, flagellorum, coronæ spineæ, & crucis
 & clauorum; imò ictum etiam lanceæ, quem
 post mortem suam, corpus erat accepturum,
 horruit. Omnes hos timores sua spontè susce-
 pit, vt se illis affligens, fortitudinem suam in
 resistendo manifestaret, non retrocedens pro-
 pter illos, ab incepto. Obellator fortissime,
 quam potiori iure dicere posses; quam dixerit
 Dauid: *c cor meum conturbatum est in me, & c* Psal. 54. 5.
formido mortis cecidit super me: timor & tre-
mor venerunt super me, & contexerunt me te-
nebra qui tamen non propterea optas pennas
columba, vt volans fugias; nam ipsum timorem
 sumis, vt eum superes. TAE D I V M fuit fastidiu
 quoddam & inappetentia rerum omnium hu-
 ius mundi, nihil in terra cernens, quod illi cõ-
 solationem aut leuamen afferret: vt sicut alter
 Job, dicere posset: *d t adet animã meã vitã meã* d Job. 10. 1.

Q 2 quam

quam tot malis & periculis obsessam vide-
 bar. Hac enim ratione, luebat ipse tædium
 meum, circa virtutis opera; & inappeten-
 tiam, ad tolerandum, quod in ea amarum est
 & difficile. TRISTITIA fuit grauitas qua-
 dam & afflictio interna, ob aduersa, quæ tan-
 quam præsentia intuebatur, naturali carnis
 suæ propensione repugnans. Et quoniam la-
 bores & multi erant, & horrendi, eorum ve-
 rò apprehensio valde viua, quia tanquam di-
 uino decreto statutos, vt inuitabiles ap-
 prehendebat, maiori affectus est tristitia,
 quam fuerit vnquam vlla aut futura sit in hac
 vita. Quæ tristitia etiam est illum aggressa,
 tanquam turbulentorum militum exercitus,
 contumeliosum, quasi re ipsa videret se ignomi-
 niam affectum, contemptum, spem foedatam,
 desertum & persecutum. O læticia Angelorum,
 cur te tot tristitiis subiecisti! Quid hoc,
 quod læticiam & gaudium tuum in poenam
 tibi conuertas; vt poenas & tristitias meas
 mihi conuertas in gaudium! laudent te omnes
 Angeli, pro immensa hac charitate, qua tibi
 tristitiam elegisti, vt me repleres læticia.
 Concede mihi, Domine, tantum animi ro-
 bur in tuo obsequio; vt nec timor me dei-
 ciat, nec tædium opprimat, nec tristitia con-
 sumat, Amen.

IN his omnibus perpendendum est, sicut
 infinita Christi Domini charitas resplendit
 in eo, quod mori desideraret, & pro nostro
 bono pati gauderet; sic nunc eandem resplen-

dere

dere, cum poenales hosce affectus sumit volū-
tariē: vt internos labores & afflictiones patia-
tur, quas patiuntur eius electi: & se ipsum suis
fratribus similem facit in iis, quæ sunt eis con-
naturalia, excepta culpa: vt nobis exemplo
esse patientiæ, & inuicem toleraremus,
cum contingeret, in eo nos statu esse, in quo
erat Iob, cum dixit: *factus sum mihi metipso* Iob. 7. 20.
gratum.

PUNCTVM III.

TERTIO considerandæ sunt reliquæ
causæ, quas adiunxit Christus, vt se ad
hanc tristitiam & afflictionem inter-
nam permoueret, in quibus illæ rationes, &
motiua proponuntur, quæ mihi iustam tristi-
tiam asserre possunt, quam Apostolus a *Tristi-* 2. Cor. 1. 10.
tiam secundum Deum appellat. PRIMA causa
fuit memoria, viuaque apprehensio peccato-
rum omnium hominum, tam præteritorum,
quam præsentium & futurorum, quæ sibi præ-
sentissima habebat: & magna euidencia co-
gnoscebat: cogitans tria valde horrenda, quæ
in illis sunt: multitudinem scilicet eorum
innumeram: grauitatem penè infinitam, ob-
iniuriam, quam inferunt Deo: & maxima da-
mna, quæ adferunt hominibus, quos ad in-
toleranda inferni tormenta condemnant.
Hoc totum maximam illi attulit tristitiam,
quam ipse admisit sponte: tum vt tristitiæ
defectum, quam homines de suis culpis non

sentiunt, hoc interno suo dolore supplens illas lueret; tum ut eos ab æterna tristitia eriperet, quam suis culpis promeriti erant.

HO C perpendens imaginabor meipsum, in memoria & corde ipsius Christi; & attendam, quòd ipse peccata mea & reporem aspiciens, magnam concipiat tristitiam & terribilem animi mœrorem; ideoque merito & ipse contristabor, tria prædicta perpendens, multitudinem scilicet & gravitatem peccatorum, & æternam pœnam, quam illis sum promeritus: & contendam peccatum horrescere, quod aded grande est malum, ut eius sola consideratio sufficiat, tantam Christo adferre tristitiam.

O Pater æterne, hanc Filij tui vnigeniti tristitiam & dolorem, offero in satisfactionem plurimorum & grauissimorum peccatorum meorum; pœnitet me ea admisisse, sed quoniam pœnitendo hæc & tristitia, exigua valde est; eam ego cum illius tristitia coniungo, per eam tibi supplicans; ut meam augeas, ut hæc pœna culpas meas luam. O Saluator mi, gratias tibi ob tristitiam, quam propter mea peccata accepisti. O si nunquam illa admissem, ne tantam illis pœnam tibi attulissem! de leas illa quæso ex anima mea, ut nihil in ea sit, quod tibi tristitiam adferre possit, aut pœnam.

II.

SECUNDA causa huius tristitiæ fuit consideratio exigui fructus, quem in multis hominibus productura erant media, que

ipse ad vberimos producendos adhibebat: incarnatio videlicet sua, Passio & Mors, Sacramenta, & sacrificia, doctrina, & exempla vitæ suæ, in quibus omnibus perpendebat ipse insignem hominum ingratitude, coecitatem, duritiem, & obstinationem in salutis suæ mediis reiiciendis, quæ ipse tantis suis expensis & laboribus illis offerebat: propter quod plurimi reipsa essent condemnandi. POENAM quoque illi adferebat tepor, & ignavia multorum aliorum, in percipiendo fructu ex his mediis, ad salutem & perfectionem eorum aded efficacibus. In qua etiam consideratione imaginabor me vnum esse eorum, qui meum saluacorem affigebant, meis tepiditatibus: eò quod eius passionem & mortem, non tanti facerem atque debebam. Quamobrem contristari cum illo debeo, supplicans, vt auferat à me, quidquid talem ei tristitiam afferebat.

TERTIA huius tristitiæ causa fuit, consideratio afflictionum omnium & tristitiarum, quas eius electi, & omnes iusti, ipsius causa erant perpassuri: quas omnes etiam presentissimas habens, ita tunc sentiebat, atq; si ipse tunc illas pateretur, eò quod illos, interno amore & charitate, sibi coniunctos haberet; b *Et qui* b Zac. 2. 8.
eos tangeret, tangeret pupillam oculi eius, quia magis illi ipse cordi coniuncti erant, quam oculo sit pupilla. Ibi per sentiebat afflictiones Apostolorum & Martyrum; persecutiones

Doctorum, & ministrorum Euangelij tentationes, quas passi sunt Confessores & Virgines: tristitias & desolationes iustorum afflictorum: ibi etiam praesentes habebat, tribulationes & tentationes meas, meos timores & tristitias, & tactus commiseratione meae, tristabatur: volens affectu hoc commiserationis, idem sentire in se, quod ego patior in me, hac ratione me obstringens, ut eodem ego affectu compatiar ipsi, in eis, quae ipse est passus. O piissime & clementissime IHS, quid hoc est quod facis, ut contristeris & affligaris? num satis non habes; dum proprias tuas poenas consideras: nisi etiam alienas consideres, ut contristeris de eis, atque si essent tuae? sufficebat, Domine, ob mea peccata contristari: sed interim de poenis, quae iuste mihi propter illa inferuntur, gauderes: at cum tua immensa charitas nullum terminum habeat, tristari vis ob culpas & poenas meas, ut liberet me ab utrisque. Concede mihi, Domine, ita de tuis laboribus contristari, sicut de meis tristabaris: tui siquidem reuera sunt mei, cuius causa illos sustinisti.

IV.

His generalibus tristitiae Christi Domini causis, particulares aliae possunt accedere, qualis est perditio illius populi Hebraei, quem ipse in suum elegerat: & eisdem ingratitude, qui vitam ipsi adimebat. In eundem modum imaginari licet, sensitse Christum Dominum perditionem aliquorum

Chi-

Christianitatis Regnorum, quæ negatura erant & amissura fidem. Iudæ quoque condemnationem sentiebat, videns Dæmonem, illum ex schola sua rapientem. Et imaginabor; sicut homo grauissimos sentit dolores, cum aliquod membrum ipsi abscinditur, quod reliquo corpori a deo est vnitum; ita Christum Dominum, sensisse in corde suo impulsus & violentias Dæmonis, quibus aliquod membrum viuum corporis eius mystici præcidebat, aut auellebat; atque si ipsa eius viscera transfigeret; & quem in ipsis infixum habebat, extraheret. O bone IESU, quàm innumera huiusmodi tormenta simul patiebaris! præsentem habens lapsus toristorum quos Dæmon ad se rapit: compatere mihi, Domine, nec me patiaris nunquam à te diuelli.

V.

TRISTABATUR etiam ob scandalum discipulorum, & afflictionem moestissimæ Matris suæ, quam etiam ibi præsentem habebat, ac denique, cum verè dixerit Sapiens; *qui addit scientiam addit & laborem*, ingentes Christo Domino nostro attulit labores magna scientia, viuaque apprehensio, quam habuit de rebus omnibus, quæ illorum erant causæ. O Deus & scientiarum Domine, da mihi dolorum tuorum istam scientiam, vt magnam in illis partem habeam.

VI.

(:.)

PUNCTVM IV.

QUARTO considerandum, Christum Dominum nostrum, cum à cæteris Apostolis secessisset, Petro, Iacobo, & Iohanni, quos secum acceperat, afflictionem suam aperuisse, vultuque valde mutato, dixisse: *Tristis est anima mea vsque ad mortem; sustinete hic, & vigilate mecum.*

a *Matt. 26.*
38.

L PERPENDENDA itaque sunt ipsa Christi Domini verba; & magnum quid, quod illis significat. Dicere enim; anima mea est tristis vsque ad mortem, idem est, atque si dicat; tanta mea est tristitia, quanta in ipsa morte haberi solet; & que sufficeret sola, ad ipsam mortem mihi adferendam, nisi vitam ego, ad crudeliorem mortem subeundam reseruarem: Eritque tam proluxa. vt continuò sit me vsque ad ipsam mortem affictura: neque enim in toto reliquo vitæ meæ, vlla læticia, locum in me habere poterit. O Saluator mi, quomodo hæc verba cor meum non transfigunt, & lethali vulnere feriunt, cum te videam tristitia mortis, mei causa contristari! O Virgo sacratissima, si hæc verba audiuisses! an non illa gladius fuissent doloris, qui animam tuam purissimam, ab vna parte ad alteram pertransfret, vt quæ coniunctissima esset animæ filij tui, vsque ad mortem contristatæ! O lethale peccatum, quantum pondus habes, siquidem in Christo efficis tristitiam vsque ad mortem.

DEIN-

II.

DEINDE causæ & motiua sunt perpēden-
da, ob quæ CHRISTVS hæc verba dixerit
Apostolis: quæ fuerunt duo. PRIMVM quia,
cum hæc tristitia esset interna; necesse fuit ei⁹
magnitudinem, externis signis nobis manife-
stari; vt intelligeremus, quàm multa & gra-
uia, nostri causa ipse sustineret; & gratos nos
exhiberemus, & ad imitandum excitaremur:
sicut in cruce dixit: *sitio*, vt cognosceremus
etiã illum cruciatum, quem nostri causa su-
stinebat; sed nobis fuisset occultus, nisi verbo
ipse illum aperuisset. SECUNDVM moti-
uum fuit, vt ostenderet se hominem, & subie-
ctum tristitiis & timoribus: & qui quã talis
aliquod solatium inueniebat, dum suis charis-
simis discipulis afflictionem suam communi-
cabat, vt ipsi compaterentur, & aliquo modo
consolarentur: & ideo dixit illis: *vigilate me-
cum, & me comitami.* O desolatorum con-
solator, quis te adeo deiecit, vt consolationem
à tuis creaturis petas? Peccata mea, Domine,
ad hoc te deduxerunt; & desiderium, quo te-
neris meæ consolationis, quam tuarum deso-
lationum pretio mihi comparas. Hinc discere
etiã possum, non detrahi quidquam perfo-
ctioni patientiæ; quòd quis Confessariis, aut
Magistris spiritus & fidelibus amicis, suarum
desolationum & aduersitatum rationem red-
dat; quia possunt illi veram consolationem in
Christo, nobis adferre.

III.

TERTIO perpendam causam, propter quam
Christus Dominus noster, hanc suam tristi-
tiam,

riam, his tantum Apostolis, potiùs, quàm aliis
aperuerit: vt nimirum, qui gloriæ suæ transfi-
gurationis testes fuerunt; ijdem quoque, huius
tristitiæ & agoniz, quam in sua passione affu-
mebat, testes essent: vt illam cum hac confe-
rentes; agnoscerent, aliisque testificarentur,
quantum ei debeamus, qui nostri amoris inui-
tu, corpus suum tanta gloria priuaret; & nunc
terribili a deo tristitia affligeret. Item vt in-
telligamus, si Deus in hac vita suos electos
consolatur, id facere, vt eos præueniat, & ad
magnos labores tolerandos excitet: Et, si fa-
uor & gratia reputatur, cum Christo esse, in
monte Thabor, eiusque gloriam speculari, &
gandiorum eius participes esse; etiam fauorem
esse censendum, cum eodem Christo in horto
manere, eumque in tanta tristitia & mœrore
constitutum videre, & afflictionum ac tristi-
tiarum eius participem esse; neque huiusmodi
fauorem omnibus concedi, sed dilectis ac in-
trinsecis magis. Ita ego credo, Saluator mi, &
ita desidero, supplex orans, vt hoc me fauore
prosequaris, vt sim vnus illorum pauco-
rum, quibus tuos labores commu-
nices; magnum que illorum
sensum conce-
das.